



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

§. 3. De cacumine Scalæ Cœlum tangente. Quo ostenditur Virginitatis præ Conjugio excellentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](#)

L. 3. de  
Virg.

*in nobis vulneratur Ecclesia: caveamus igitur, ad cau-  
telam suggerit D. Ambrosius, ne lapsus noster vulnus  
Ecclesiae fiat.*

## §. III.

*De Cacumine Scalæ Cœlum tangente.*

**A** Christo institutum seu approbatum Statum duplē agnoscit Ecclesia, Conjugalem scil. & Virginalem: Conjugalem, dum suā cohonestatā præsentia Nuptias in Cana Galilæa, conferens quod deerat ad lētitiam, donando vinum absque ulla agricultura productum, matrimonioque leges præscribit, illud ad primævam sui institutionem revocans: Virginalem tam verbis apud Matthæum, quām suo exemplo, dum ex matre Virgine natus, Virginitatem coluit sine nuptiis, qua de causa ut olim de Eva Adam: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est*, Virginis etymologiam à Viro, qui Christus est, derivat S. Fulgentius. At neuter præceptus, eum namque qui magis arriserit amplecti cuique liberum: *qui potest capere capiat, qui non vult, omittat.* Placet tibi Conjugium? duceris affectu ad maritum, ut olim Deus adduxit Evam ad Adam? nullum tibi obstat impedimentum: *Si nupserit Virgo non pec-  
cavit.* Afficeris ad continentiam? affectum probat & promovet Apostolus tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sit fidelis. Imperio legis hīc nemo necessitatur, consilio charitatis agit Apostolus. „Atque hoc ita dico (Apostolo succinens, inquit D. Ambrosius) non ut laqueum cæteris injiciam, sed

L. de Vi-  
uis.

„ sed ut commissi mihi ruris operarius agrum hunc  
 „ Ecclesiæ fertilem cernam , nunc integratatis flore  
 „ vernantem , nunc Viduitatis gravitate pollentem ,  
 „ nunc etiam Conjugii fructibus redundantem :  
 „ nam et si diversi unius tamen agri fructus sunt : nec  
 „ tanta hortorum Lilia , quantæ aristæ segetum , mes-  
 „ sium spicæ , complurimumque spatia camporum re-  
 „ cipiendis aptantur seminibus quām redditis nova-  
 „ les fructibus feriantur . Ea tamen utriusque diffe-  
 rentia , quōd Virginali primas cedat Conjugalis ,  
 (Prius est quod nati sumus , quām quod effecti , multoq[ue] Ex D. Am-  
 præstantius divini operis mysterium , quām humanae brof. Epist.  
 fragilitatis remedium ; ) non quōd hic malus sit ut  
 olim Manichæi , Encratitæ , Marcionitæ , Ebionitæ  
 aliique Hæretici docuere , idcirkò nubere prohibentes , <sup>I Timoth,</sup>  
 quos dæmoniorum doctrinis attenturos præmonet <sup>4: 1.</sup>  
 Apostolus : „ Scimus enim nuptias non esse pecca-  
 „ tum sed Dei opus & Dei donum (loquor cum S.  
 „ Fulgentio) quas ipse Dominus connexuit fidei vin- <sup>supra. c. 9.</sup>  
 „ culo , gratificavit benedictionis dono , multiplicavit  
 „ propagationis augmento : novimus honorabile <sup>Hebr. 13: 4.</sup>  
 „ Connubium in omnibus & thorum immacula-  
 „ tum : novimus à Deo non Conjugia sed fornicati-  
 „ ones & adulteria judicanda . Qui namque copu-  
 „ lam damnat (argumentatur D. Ambrosius) dam- <sup>L. i. de</sup>  
 „ nat & filios , & ductam per successionum seriem <sup>Virg.</sup>  
 „ generis societatem damnat humani : nam quem-  
 „ admodum duratura in seculum ætas succedere pos-  
 „ set ætati , nisi gratia nuptiarum procreandæ stu-  
 „ dium sobolis incitaret ? ideoque *dammando Conju-*  
*gia* eos addit profiteri quōd *ipſi non debuissent nasci*.  
 Sed quōd bono melior sit , ut post præmissas diver-

SCALA JACOB.

22

*Cor. 7:38.* fas rationes concludit Apostolus: *Igitur & qui Matrimonio jungit Virginem suam benè facit, & qui non jungit melius facit: quæ & Patrum omnium censura est: ita nuptias recipimus, ut Virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus, Joviniano respondet Hieronymus: numquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? aut arboris aut segetis contumelia est, si radici & foliis, culmo & aristis poma præferantur & fructus? ut poma ex arbore, frumentum è stipula, ita Virginitas à nuptiis.*

*L. I. c. 1.* *Sed quia* Hieronymus: numquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? aut arboris aut segetis contumelia est, si radici & foliis, culmo & aristis poma præferantur & fructus? ut poma ex arbore, frumentum è stipula, ita Virginitas à nuptiis.

*Cor. 7:7.* *unusquisque proprium habet donum à Deo, aliis quidem* sic, *aliis autem sic.* „ Nos quoque (Probæ rescribit

*Epist. 3.* „ S. Fulgentius ) sic utriusque doni gradum discer-  
„ nimus, ut utrumque donum à Deo tribui fidelibus  
„ non negemus: non igitur inferius Dei donum de-  
„ vocamus in culpam, cum potioris doni præferimus  
„ gratiam: nec, cum primum pudicitiæ donum præ-  
„ ponimus, secundum tertiumve damnamus: nec in  
„ eo quod integratæ Virginalis agnoscimus culmen,  
„ pudicitiæ conjugalis asserimus crimen; neque sic  
„ Virginitatem frumentis ascribimus, ut Conjugi-  
„ um inter zizaniam deputemus: verumtamen utri-  
„ usque rei congrua discretione momenta pensantes  
„ tantùm dicimus à sanctis nuptiis, ubi nubunt qui  
„ se continere non possunt, sanctam Virginita-  
„ tem meritò potiori distare, quantùm distant à bo-  
„ nis meliora, ab humilibus celsa, à terrenis cœlestia,  
„ à beatis beatiora, à sanctis sanctiora, à mundis  
mundiora, &c. Vide Gregorium Nazianzenum,  
Ambrosum, Augustinum & reliquos omnes.  
Præstat autem Virginitas matrimonio non in eo  
tantùm quod minoribus subjaceant difficulta-  
tibus

*Orat. 31.*

*L. I. de*

*Virg. I. de*

*Viduis.*

*L. de dogm.*

*Eccl. c. 68.*

*& alibi*

*passim.*

tibus Virgines quām Conjuges , quibus carnis tribulationes denuntiat Apostolus quasque enumerat *1Cor.7:18.*  
 Ambrosius ( ut voluit Jovinianus hæreticus ) sed & quōd majoribus præmiis reseruentur in cœlis , ut passim & contra eum hæreticum ex sacris Literis deducunt Patres atque demonstrant : „ Prima sententia crescere & generare præcepit , secunda continebit suam suafit ( ex D. Cypriano ) cùm adhuc rudis *De Hab. &*  
 „ mundus & inanis est copiam fœcunditate generant *Dise. Virg.*  
 „ tes propagamur & crescimus ad humani generis  
 „ augmentum : cùm jam refertus est orbis & mundus impletus , qui capere continentiam possunt Spadonum more viventes castrantur ad regnum : nec  
 „ hoc jubet Dominus sed hortatur : nec jugum necessitatis imponit quando maneat voluntatis arbitrium liberum : sed cùm habitationes multas apud Patrem suum dicat , melioris habitaculi hospitia demonstrat . Habitacula ista meliora vos petitis , carnis desideria castrantes majoris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis . Hieronymum non cito , neque Augustinum , cùm ii fusissimè huic veritati patrocinetur , ille L. i. adversus Jovinianum , hic L. de sancta virginitate c. 22. & seqq. neque indiget ea patronis cùm testem habeat ocularem D. scil. Joannem , *Apoc.14:3,* ait is audisse se de cælo vocem canticum novum cantantium , quod nemo nisi Virgines dicere poterant , easque sequi Agnum quocunque ierit . „ Quò ire *vers. 4.*  
 „ putamus hunc Agnum ? ( rogat S. Augustinus ) *L. de S.*  
 „ quò nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos .  
 „ Quò putamus eum ire ? in quos saltus & prata ?  
 „ ubi credo sunt gramina gaudia , non gaudia seculi hujus vanæ , insaniæ mendaces , nec gaudia qua-

„lia in ipso regno Dei cæteris non Virginibus erunt,  
 „sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distin-  
 „cta. Gaudium Virginum Christi, de Christo, in  
 „Christo, cum Christo, post Christum, per Chri-  
 „stum, propter Christum. Gaudia propria Virgi-  
 „num Christi, non sunt eadem non Virginum,  
 „quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia.  
 Vide itaque quò te mystica nostra Scala ducat, quod  
 præmium, quod sodalitum te in cœlesti beatitudi-  
 ne maneat: tangit illa Cœlum ut directè, non lon-  
 giore circuitu, quod de Matrimonio scribit Ambro-  
 sius, ad castra Sanctorum pervenias, ad præmia tibi  
 reposita concendas, Choro Virgineo te inseras, Ag-  
 num sequaris quoctunque ierit: „Caveant tamen  
 „Virgines Christi (moneo cum D. Bernardo, quo  
 „& finio) ne pueriliter intelligent ita ut solam Vir-  
 „ginitatem credant sibi sufficere ad sequendum  
 „agnum Dei quoctunque ierit, cum ipse Agnus non  
 „solùm Virginitatis semitam, imò etiam omnium  
 „virtutum viam incedat. Oportet ergò Virginem  
 „Christi omnium virtutum itinere etiam in hac vita  
 „Agnum mansuetissimum imitari, si vult illuc ve-  
 „nire, ubi sine fine eum quoctunque ierit sequetur.  
 „Quomodo enim posset sequi Virgo superba Ag-  
 „num in humilitatis via gradientem ad quem nullo  
 „modo accedet? quomodo mitissimum iracunda?  
 „quomodo ferventem charitate invida? quomodo  
 „largissimum avara? quomodo sobrium ebria? am-  
 „bulat in omni via omnium virtutum Agnus, am-  
 „bulat sic & Virgo cupiens Agnum imitari; sit mi-  
 „tis, sit humilis, sit charitate fervens, sit larga, sit  
 „alacris, sit sobria & imitabitur Agnum quoctunque  
 ierit.

Epist. 82.

Tratt. de  
 Passione  
 Domini  
 c. 31.

„ ierit. Denique merebitur ab ipso Sponso suo au-  
 „ dire, Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis *Cant. 7:1.*  
 „ tuis filia Principis: specialis filia Dei , Principis &  
 „ Domini Regum universæ terræ, erit anima Virgi-  
 „ nalis , cuius gressus commendantur in calceamen-  
 „ tis. Per calceamenta autem accipimus exempla  
 „ mortuorum , quia calceamenta fiunt de mortuis  
 „ animalibus. Pulchri igitur sunt gressus Virginum  
 „ in calceamentis , cùm directè sequuntur per viam  
 „ virtutum omnium Agnum Christum pro ipsis  
 „ mortuum , pro Agno paratæ etiam ipsæ usque ad  
 „ mortem & per mortem , si necesse est , sequi  
 „ Agnum, in omni facto munientes pedes affectuum  
 „ suorum exemplis optimi Agni Jesu Christi adver-  
 „ sus Serpentem insidiantem calcaneo virginali , cùm  
 „ caput Serpentis virginali pede ipsius Agni adjutorio  
 „ conculcatur.

## §. I V.

*De Domino Scalæ innixo.*

**Q**uarta hujus Scalæ circumstantia est , quòd ei  
 Dominus inniteretur : *Vidit Dominum innixum Gen. 28:13.*  
*Scalæ.* Cujus consideratio duplex apud Interpretes :  
 una, quàm docet Alcazar, quòd ad imos Scalæ gra- *in c. 2.*  
 dus constiterit, ut eam teneret & firmaret, sed quæ *Apoc.*  
 verisimilitudinem non habet. Altera & communior,  
 quòd is ejus summitati incumberet, quare pro eo  
 quòd habet nostra versio Dominum Scalæ innixum  
 70. dicunt superfirmatum : adeoque Virginitatis  
 prærogativam denotat, quâ ea gaudet præ statu Con-  
 jugali : facillimum nempe in ea dari cum Domino

B 5

con-